



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales

In Quibus Vnivers[a]e Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

20. Quib. modis ius patriæ potestatis soluatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

& tributum adfciiebantur; *Inst. de adoptione, in principio.* Fuit enim adoptionis origo antiquissima, neque solum Romani, sed etiam Græci, & vetustissimi Hebræi filios sibi adoptare consueverant: vel quod onera matrimonij detrectarent: vel quod sterile esset coniugium: vel quod liberi morerentur vel quod mali, improbi, ac degeneres essent. Sic Moses adoptatus est à filia Pharaonis: Iacob adoptavit Manassen, & Ephraim ex filio Iosepho nepotes. Sic apud Romanos Scipio Africanus, cum ipsius filius ob valetudinem generare non posset, Pauli Æmilij Macedonici filium adoptavit: Iulius Cæsar Augustum, Augustus Tiberium, Traianus Adrianum, Iustinus, Iustinianum adoptasse, ab historicis perhibentur.

Est autem adoptio, actio legis, per quam extraneus in alienam familiam, & in ius filijfamilias cooptatur. Qui adoptabatur, adoptantis patris sui apud Romanos prænomine, & nomen & cognomen sic assumebat, ut suum duntaxat nomen, idque pauli inflexum, & immutatum retineret. Sic C. Octavius, dictus est postea C. Iulius Octavianus: T. Pomponius vocatus est Q. Cecilius Pomponianus: & L. Æmilius, P. Cornelius, Scipio Æmilianus.

Ius adoptionis in tribus consistebat, nimirum, in iure familiæ, nominis, pecuniæ, siue hæreditatis, & factorum. Nam filius adoptatus transibat in familiam patris, & eius nomen assumebat in ipsius hæreditate, & bonis, & in iure etiam factorum, hoc est, in sepulchri, siue sepulture iure succedebat. Filij itaque adoptivi, quemadmodum & legitimi, patriæ potestati, & iuri subiecti erant.

CAP. XX.

Quibus modis ius patriæ potestatis solvatur.

PRIMO queritur, Quot modis ex iure civili filiusfamilias à patriæ potestate liberetur? [In Institutione, Quibus modis ius patriæ potestatis solvatur] septem species enumerantur, quibus filius extra patriam potestatem constitutus sui iuris efficitur. Prima est, mors naturalis, quæ, ut reliqua omnia, ita etiam patriæ potestatis ius, & nexum dissolvit, ita tamen, ut si eo tempore, quo avus decedit, nepos sit in eiusdem potestate, in patris sui potestatem recidat, qui in potestate aui paterni, non autem patris sui erat: Nam qui alterius iuri subiectus est, alios in potestate sua habere non potest: si vero iam pater suus obierat, vel sui iuris factus fuerat, mortuo auctore, sui iuris nepos efficitur. *Institution. quibus modis ius patriæ potestatis solvatur. §. primo.*

Secunda species solvendæ patriæ potestatis, est mors civilis patris, aut filij: Est autem mors civilis, in Insulam deportatio hominis perpetua ob maleficium homini capitale. *Institut. quibus modis ius patriæ potestatis solvatur. §. cum autem.* Nam olim, cum Romani improbos, & Republicæ perniciosos homines detestarentur, & nollent in eis carnicinam exercere, & nihilominus à malis hominibus societatem civilem cuperent expurgare; primo facinorosos interdico ignis, & aquæ muldebant, eo quod sicut his duobus, calore, & humore, vitam hominis constare, ita interdico eorundem usu, non credebant consistere, quibus se indignos, malefactoris suis facinorosi reddidere. Deinde vero Insulis adiectis imperio, deportandi improbos homines vsus increbuit, qui velut mortui, eicdi in alias sedes migrare credantur, ac proinde in Insulas, quasi in alterum orbem delati, omnibus exuti bonis, inter mortuos connumerati sunt in his, quæ iuris civilis essent.

Causa deportationis, erat atrox aliquod flagitium: effectus vero, amissio civitatis, familiæ, connubij, patriæ potestatis, testamenti factionis, & omnium eorum, quæ iure civili sunt introducta: ea enim quæ sunt iuris gentium, & naturæ, deportati retinebant, ac solum civitatis, & iuris civilis commodis spoliabantur. Patriæ igitur potestatis vinculum cum sit iuris civilis, solvabatur, siue pa-

ter, siue filiusfamilias in Insulam deportaretur. Nam si ut pater, qui iura civitatis amisit, & peregrinus factus est conditionis, ciuem Romanum in potestate habere non potest: ita in pari sortuito casu, nec filius peregrinæ cognationis patrem ciuem Romanum agnoscat.

Addit vero Iustinianus *ibidem*: [si ex indulgentia Principis, deportati in Insulam, restituti fuerint, in omnibus pristinum statum recuperant. Relegati autem patres in Insulam, in potestate liberos retinent; & è contrario, relegati filij in parentum potestate remanent.] Sic Iustinianus, *ibidem*.

Relegatio, pœna est, qua quis propter crimen aliquod ablegatur in Insulam, vel absque tempore, vel vt intra certum tempus ibi commoretur: & in hoc relegatio est mitior deportatione, quæ est perpetuum in Insulam exilium, ac proinde relegatio iura civitatis non aufert, nec patriæ potestatis nexum.

Dubitat Glossa *ibidem*, an publice proscripti, qui per Italiam frequenter damnantur, censeri debeant inter Relegatos, an inter Deportatos? Et respondet, eos inter Deportatos esse habendos, ac proinde civiliter mortuos: quæ sententia privatis Principum, & civitatum, ac populorum statutis, & legibus recepta est. Frequentior tamen iuris civilis interpretum opinio, eos cum Relegatis non cum Deportatis connumerat.

Tertia species, qua patriæ potestas finitur, est, cum pater sit servus pœnæ ob commissum aliquod scelus: & hæc servitus etiam mors quædam civilis est: nam pœnæ servus, quod ad actus civiles spectat, mortui censetur, eo quod illis humanæ civitatis iura adimantur. Pœnæ autem servi sunt, qui ultimo supplicio damnantur: statim enim & civitatem, & libertatem amittunt. *l. qui vltimo. ff. de pœnis.* Item, in metallum damnati, qui grauioribus vinculis premebantur; & damnati in opus metalli, puta salinarium, sulphuriam, qui leuioribus vinculis tenebantur. *l. aut damnatum. §. Inter eos. ff. de pœnis.* Item, in opus publicum perpetuo dati: nam si ad tempus tantum dantur, non sunt servi pœnæ, sed nominis tantum infamiam incurrunt. *l. quidam. ff. de pœnis. l. penult. §. Minuitur. ff. de varijs. c. extra ordin. cognit. Glossa in l. capitalium, in verbo, datur ad tempus. ff. de pœnis.* Item, damnati ad bestias, qui in schola venatoria exercitati, conficiendis in theatro bestijs obijciuntur, ac proinde pœnæ sunt servi. *Aut damnatum. §. quicumque. ff. de pœnis.* Item bestijs obiecti vel subiecti, qui in nullam pugnam damnantur, sed magis, vt à feris, tanquam inermes, statim dilanentur. *l. pœna. ff. ad legem Pompe. de pœnis.* Hæc omnia habentur in *Inst. Quibus modis ius patriæ potestatis solvatur. §. Pœna servus.* At iure nouissimo Authenticorum constitutum est, vt nemo ingenuus, ex supplicio pœnæ servus amplius efficiatur. *In Authent. de nuptijs. §. Quod autem, c. §. Quia vero, collat. 4.*

Quarta species patriam solvendi potestatem est, si filiusfamilias, Patriam dignitatem nactus sit: ait Iustinianus *ibid. §. Filiusfamilias.* Item, si fiat Conf. Item in *l. Curialib. C. de Decretionib. in lib. 10.* numerantur 12. dignitates, quibus filius extra patriam potestatem egreditur. Item & in *Authent. Quæ dignitatibus collat. 7. §. Palam vero est.* Dignitas Episcopalis patriæ potestatis iura dissolvit, vbi dicitur: *Palam vero est, nullum esse, qui nesciat, præ omnibus sanctissimis Episcopis ipsa ordinatione, etiam suam potestatem acquiri. Qui enim omnium sunt spirituales Patres, quo modo sub aliorum potestate consistunt? Sed convenit etiam eos huiusmodi potiri honore. Et hoc ex hac nostra legislatione fieri.* Sic ibi. Sed hæc lex, non quia civilis, vim & locum habet in Episcopis, sed quia iure Canonico Episcopo patriæ potestate solvitur est. Nam in *cap. Per venerabilem, qui filij sunt legitimi,* habetur: *Per simile quoque id videtur posse probari, cum eo ipso, quod aliquis ad apicem Episcopalis dignitatis attollitur, eximitur à patriæ potestate.* Sic Pontifex. Ex quo fit, vt Cardinalis etiam dignitas ius patriæ potestatis solvat. *Glossa in extratragan. Execrabilis, de preben. inter communes, verbo, solemnitate.* Bartolus in *tractat. de prestantia Cardinal. prima parti.*

233

quos. l. num. 69. *Couarruias de testamen. cap. quia nos numero quinto.*

Quarta species est: cum pater est ab hostibus captivus abductus, ut ibidem, §. Si ab hostibus, ait Iustinianus Imperator: tunc enim quasi sopitur, ac differtur ad tempus patrie potestatis, captus enim ab hostibus, cum fiat servus iure gentium, sicut reliqua amittit, quæ sunt iuris civilis, sic etiam & ius patrie potestatis, quod est iure civili introductum.

Sexta est: cum pater, vel filius solemnem Religionis votum facit. Sic Bari. lafon, & alij in l. pater furioso, ff. De his, qui sui, vel alieni iuris sunt, §. Glossa communis consensu approbata in Auth. ingressi, §. in Auth. si qua mulier. C. De sacrosan. Eccles. c. si qua mulier 19. q. 3.

Septima species est: si pater in hæresim prolatur; ab eo enim tempore, etiam si crimen sit occultum, filius patrie potestate liberatur, ut habetur in c. 2. §. ult. de hæresicis in 6. Ac propterea si bona patris ob hæresim publicentur, & in fidei commissa transferantur, usufructus, quem pater in bonis filij aduentitij habebat, ad filium pertinet, ut tradit Si manca de Catholice. instit. tit. 9. num. 81.

Si roges, an filiusfamilias in hæresim lapsus, iure & vinculo patrie potestatis eximatur? Respondeo: cum primum fuerit de hæresi damnatus, eximitur; ante sententiam vero iudicis, dubium est, an eximatur, quoniam non est legibus, vel Canonibus constitutum, ut hæresis filij, eum patrie potestatis nexu, & iure solvat, ac liberet. Cæterum Simanca. de Cathol. instit. tit. 9. num. 18. videtur asserere eum filium, eo ipso, quo in hæresim incidit, patrie potestate solvi.

Octava species est: si pater sciens incestas nuptias contraxerit, hoc est, cum consanguinea, vel affine in gradu iure prohibito, & absque vlla Romani Pontificis indulgentia tunc enim filius de iure patrie potestatis egreditur, in Auth. incestus. C. De incestis, §. 1. Addit Couarruias in epitoma par. 1. cap. 6. §. 8. num. 20. Incestas huiusmodi nuptias, consummatas esse oportere per conjugalem complexum ut patrie potestatis iura dirimantur. Alicubi statuis civitatum, vel populorum, aut constitutionibus Principum decretum etiam est, ut patrie potestatis vinculum solvatur, si pater incestas nuptias contraxerit cum femina Deo solemnè Religionis voto consecrata.

Nona species est emancipatio: quæ est relaxatio patrie potestatis consensu patris emancipantis, & filij emancipandi coram legitimo Magistratu, vel Iudice facta. Instit. quib. mod. ius patrie potest. solva. §. præterea. Neque enim filius potest patrem compellere, ut eum emancipet: neque etiam filius inuitis emancipari potest & ideo emancipatio non necessarius, sed voluntarius est actus. Item, nudus consensus patris, & filij non sufficit, sed necessaria est solemnè quædam formula, & Iudicis auctoritas: & pater cui plures filij sunt, iure potest unum, vel plures emancipare: quod si filium, & nepotem ex eo, vel neptem habeat, potest filium de sua potestate dimittere, & nepotem, vel neptem retinere: & de contrario, filio in sua potestate retento, potest nepotem sui iuris efficere. Idem iuris est de pronepote, & alijs descendentes. Sic Iustinianus in Instit. quib. mod. ius patrie potest. solvatur. §. Admonendi. Pater autem, qui emancipat, veluti loco præmij retinet sibi vsumfructum in parte dimidia peculij aduentitij ad filium emancipatum pertinentis, nisi eam filio dimittat. l. cum oportet, §. Cum autem. C. de bonis, quæ liberis.

Alicubi tamen statuis civitatum, vel legibus Principum constitutum est, ut si post emancipationem filius uxorem ducat, statim pater partem illam amittat, quam veluti præmij emancipationis sibi retinebat. Quibusdam etiam in locis id statutum servatur, ut si post emancipationem libera patris voluntate factam, filius in patrem ingratum animi delictum admiserit, verbo, vel opere cum iniuria afficiens, redigi in patriam potestatem possit, ita ut liceat emancipationem reuocare sicut ob eiusdem ingrati animi vitium solet donatio reuocari.

Decima species qua filios soluitur iure patrie potestatis, continetur in c. 1. de infantib. §. Langui. expositi. vbi sic est: si à patre, sive ab alio sciente ipso, aut vasa habente, relegato pietatis officio infans expositus existit, hoc ipso est à patria potestate liberatus. Hæc ibi.

Vltima species est, non quidem iure civili communi sed statutis, vel legibus prouinciarum, civitatum, Regum, vel Principum vbique terre gentium constituta: ut si filius, aut filia matrimonium rite contraxerit, è vinculo patrie potestatis eo ipso solvatur, etiam si inuitis, aut incijs parentibus id faciat, & eo ipso consequitur integrum vsumfructum sui peculij aduentitij ad onera matrimonij sustinenda. Et nonnullis in locis statutum est, ut matrimonium huiusmodi patrie potestatis iura dissoluat, non cum primum contractum, sed cum consummatum maritali congressu est. Nec alicubi sufficit matrimonium esse consummatum, nisi etiam ipsi coniuges solemnè ecclesiastico ritu facti sint, ut moris est in Ecclesia.

Secundo quaeritur, An sacer ordo à filio susceptus dirimat iura patrie potestatis? Duæ sunt opiniones, quarum vna affirmat, per ordinem sacrum, quicunque sit ille, tum Subdiaconus & Diaconus tum Sacerdos, patrie potestatis iura dissoluit. Sic Glossa in c. Cum voluntate de sent. excom. §. c. indecorum de atat. & qual. ordin. Astm. in sum. lib. 6. sit. 20. q. 6. ad finem. Bernar. in cap. indecorum, de atat. & qualit. Altera opinio negat, quæ est Innocentij Hostiensis, Ioannis Andrea, ut citat Siluest. excommunicatio. 6. n. 6. est etiam Abbatis in c. indecorum citato, c. constitutus, de in integrum restitut. e. cum desideres, §. c. iure, voluntate, de sent. excom. Siluest. loco citato. Angeli, excommunicatio. 5. num. 10. & Couarruias de test. e. quia vos. n. 5. Rosol. excom. 2. num. 8. Tab. excom. 5. num. 8. & hæc ab omnibus approbatur tum Canonici, tum civilis iuris interpretibus. Et certe in Auth. Presbyteros, C. de Episcopis & Clericis, filijsfamilias conceditur, ut bona, quæ postquam electi sunt clerici, acquisierint, quasi castrensia habeant, & ut de eis testari libere queant, etiam si in parentum potestate sint, quamvis hæc lex cum civilis sit, vim & locum in clericis non habet, nisi quatenus fuerit iure Canonico recepta. Idem si sacer ordo, patrie potestatis iura dirimeret, non esset hoc proprium Episcopalis dignitatis, quod tamen tanquam proprium huic dignitati conceditur, ut filium à patrie potestatis vinculo soluat: nec in iure Canonico legimus, vbi nam sacer ordo filium liberet à patria potestate.

CAP. XXI.

De potestate Patris in filium ex iure gentium & naturali.

Hæc genus de potestate patrum in filios ex iure civili Romanorum egimus. Superest iam ut explicemus, quam potestatem habeat pater in filium ex iure gentium, & naturali, & in quibus filium patri natura subiecerit.

Ac primum quaeritur generatim, quænam ratio officiorum sit inter patres & filios, cum filij publico magistratus munere & officio funguntur, & patres priuati homines sunt? Hanc quaestionem ex disputatione, & sententia Tauri Philosophi Gell. lib. 2. Noctium Attic. cap. 2. definit, ita scribens: Ad Philosophum, inquit, Taurum Athenas, visendi cognoscendique eius gratia, venerat vir clarissimus Praefes Creæ prouincie, & cum eo simul eiusdem Præsidis pater. Et Taurus post mutua salutationem recessit, quia assurrexerat: & allata est mox vna sella, qua in promptu erat, atque dum alicubi ponebatur, apposita est. Inuitavit Taurus patrem Præsidis, ut sederet, atque ille ait: sedeat hic potius qui populi Romani magistratus est. Absque præiudicio, Taurus Præsidi dixit: Tu sedens. Et cum pater assedisset, appositumque esset alius filio quoque eius sedile: verba super ea re Taurus fecit: & eorum verborum sententia hæc fuit: In publicis locis numeribus atque actionibus, patrum iura cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus collata interquiescere paululum, & committere.

Sed